

res, quæ ad parietes suspenduntur. Pugillarium ex hoc lapide icon paulò superius cum Cotibus exhibita est.

s. Salina. Vide inter Vasa, inferiorius.

Serra qui secantur lapides ad varios usus, *weisoi* à Græcis dicuntur: ut qui in laminas scindi findiue possunt, *χισοι*, id est, scissiles. Crustras marmoreas, cum lapicidinæ sponte naturæ non suppeditant, arte facere solent, secando glebas. Arena hoc fit, inquit Plinius, & ferro fieri videtur: serra in prætenui linea premente arenas versando, tractuq; ipso secante, &c. Lege Agricola lib. 7. de nat. fossilium, qualis arena in hunc usum optima sit. Basaltes serra quidè diuiditur, sed difficillimè: ut Cap. I. expositum est.

Sigilla varia è Gagate efformantur: qualia qui diui Iacobi Compostellani reliquias visunt, in suis pileis affixa ferre solent.

Specularia, quæ vulgò fenestras vo-